

S. b. 264

Bücher · Jhd.

J. VI, 887

~~*III. 145 J. IV. 10*~~

aa T 1
T 2
MEDITATIONES
DE
SVBMISSIONE MENTIS

VVLGO

HVMILITATE

QVAS

PRAESIDE

VIRO PRAECELLENTISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

M. GOTTLLOB. SAMVELE NICOLAI

AMPLISSIMAE FACVLTATIS PHILOSOPHICAE ADIVNCTO

PATRONO ET FAVTORE PIE COLENDO

AD DIEM AVGUSTI A. O. R. MDCCCL.

H. L. Q. C.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

A VCTOR

FRIDERICVS IVSTVS TENZEL

HALENSIS.

 HALAE MAGDEBURG.

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.

28

5
MEDITATIONES
AG
SALVATIONIS MENTIS
ANNO
HAMILITATE
679
PRAESIDE
GOTTER SVMAE NICOLAI
AMERIUS MONATIS PLUTOSA HABENS
PATRONO ET PATRORI HIS CONFINIB.
AD HEIM AVASTI V. O. R. MEDICOR
M. F. M. F.
PABLICO EXAMINUM SALVATI
AVATOR
HERIBERTAS IACOBAS TINSELI
HERIBERT
HABENS
TIBI IOANNIS CHRISTIANI HILDEBERT. AED. TAPETUM
MARE MAGDEBVRG

VIRO
SVMME REVERENDO ATQVE
EXCELLENTISSIMO
DOMINO
HERMANNO STILKE
SACRI COLLEGII S. NICOLAI QVOD MAGDEBURGI EST
DECANO LONGE MERITISSIMO IN SELECTIORI ORDINVM
DVCATVS MAGDEBURGICI SENATV ADSESSORI
SPECTATISSIMO.

VIRO
ILLVSTRI ATQVE EXCELLEN-
TISSIMO
DOMINO
ANTONIO FRIDERICO
REIMERS
J. V. D. REGII REGIMINIS MAGDEBURGICI CONSILIARIO
GRAVISSIMO JCTO CELEBERRIMO.
MAECENATIBVS SVIS
OMNI PIETATIS OBSERVANTIA
SVMMOPERE COLENDIS.

VIRI ILLVSTRES AMPLISSIMI
EXCELLENTISSIMI
FAVTORES AC PATRONI MA-
XIMIS NOMINIBVS DEVE-
NERANDI.

HERMANNI COTTERII
SACRI CONFESSORIS
DECIMO TONCE MERITISSIMO IN SEIS EDITIONIBVS ORDINANTY
DAGATAS MAGISTERIALIBVS DEDICATORI
SPECTATISSIMO.

ARTO
HISTRI ATQVE EXCELLENTI-



tsi grati animi desiderio pa-
rum verbis satisfiat ; nec sa-
tis ab ambiguate remotum
sit istud viuae beneficiorum
recordationis testandae genus : tamen
primum profectuum academicorum
speci-

specimen publicum editurus VOBIS
potissimum id laboris dicare, NOMI-
NVMQVE VESTRORVM CELE-
BERRIMORVM memoriae sacrum
pronunciare nullus dubitaui; quibus &
ob insignem benevolentiam, qua studia
mea partim re, partim conatu adiuuitis,
horum ratio maxime reddi debebat, &
hoc praecipue redditam modo, verbis de-
ditissimi animi indicibus fidem simul
pondusque addere videbatur. Scilicet
nulla re magis, naturaeque conuenien-
tius amorem ac studium nostrum bene-
factoribus probari posse didici, quam si,
quo tendunt, cuiusque causa conferun-
tur beneficia, is scopus a fruentibus v-
nica omnium maxime intendatur. Qua-
re quam sim hoc defunctus officio, vt
illustris academie doctoribus, quibus

21911. 2
3

omne

omne debedo, quidquid nactus sum e-
mendationis cognitionis, bonaeque
mentis, ita VOBIS etiam VIRI AM-
PLISSIMI, his pagellis, quasi qua-
dam iudicij norma demonstrandum du-
xi; vt, si quid in me sit, cur animi er-
ga me VESTRI VOS haud poenit-
tere debeat, quodque ad constantiam
in eo fauore, quo adhuc praefecto cona-
tibus meis fuitis, incitare VOS pos-
sit, ex hac omnino scriptione cogno-
scatis. Quae tametsi nec argumenti
nouitate, nec singulari tractationis mo-
do attentionem aucupetur lectorum,
rei certe, quam explicat nobilitate fa-
tis se commendabit, dummodo id con-
sequutus sim, vt optima de re male ne
videar cordatoribus scripsisse. Hoc
prefecto moliebar, calatum, eius ge-
neris

311ro

84

neris tentaminibus, quae lucem deinde
visura sint, ante non exercitatum, scri-
bendae huic dissertatiunculae primum
admoens. Sed nec hoc solum; tum
vero denique, si a VOBIS, VIRI
ILLVSTRES benigne accipientur
hae qualescumque ausuum meorum pri-
mitiae, certiorque siam, ex iisdem
VOS intellexisse, VESTRA in tan-
tum a me coli suspicique nomina, in
quantum luculenta in reipublicam, stu-
diosam iuuentutem, me denique ipsum
merita existimanda sunt, voti mei me
factum omnino compotem gloriabor.
Ceterum, quae summa est officiorum
gratae deuotaeque mentis, deum opt.
max. supplex veneror, & adoro, id
det precibus meis, vt VOS, VIRI
ILLVSTRES cum splendidissimis
fami-

18

familiis, saluos incolumesque sera ae-
tas excipiat, conatumque VESTRO-
RVM in reipublicae augmentum ver-
gentium, late se extendant per omnia
tempora fructus. Valete VIRI AM-
PLISSIMI, benevolentiaque vestra, ut
ante hac, sic in posterum complecti-
mini

**NOMINVM VESTRORVM
ILLVSTRIVM**

Cultorem obseruantissimum

F. J. TENZEL.



I. N. J.

Si imperfectionem quandam nostram
vere viueque cognoscimus, men-
tem submissimus. Vera igitur viua-
que imperfectionis, qua ipsi labo-
ramus, cognitio, vocatur *submissio*
mentis, & barbaro vocabulo *humilitas*.

Negant alii, linguam latinam puriorem, quippe ab
hominiis verae religionis ignariis inuentam traditamque,
nosse vocabulum, quo virtus haec adaequate exprimi
possit; illam mere christianam, & cui nihil cum humanae
philosophiae praeccepis commune sit, exultimantes, atque
hoc ipso, quod nouae rei nouum nomen imponendum
sit, barbariem vocis *humilitas* hoc significatu adhibetae, ex-
cusantes. Quorum principium precarium paullo infe-
rius confutaturi, de sententia ipsa heic acrius disputare su-
peredemus. Ecclesiasticam esse vocem hanc, concedi-
mus, Tertulliano quippe frequenter, ipsique Ciceroni
A. chri-

Meditationes de Submissione mentis

christiano, Lactantio, non inusitatum. Acque commode vocabulo latiniiori a nobis electo eandem rem significari non posse, negamus, demus licet, & malo saepe sensu idem ab optimae latinitatis scriptoribus adhiberi, vt a Cicero tusef. quæst. III. 64. ad Atticum I. 17. & vim, ambitumque christianaæ perfectionis, apud nos ex huic virtutis studio eluenti, a vanitatis cultoribus hoc termino nec notatum vñquam fuisse, nec notari omnino potuisse. Qui *bunis* vocabulo ita vtuntur, vt translante eos loqui, & a quibus rebus ad quas transferant, ex contextu statim adpareat, nos hic proprie non habent aduersarios; modo cogint, aliud esse, metaphoris, & ornatis circumductionibus naturam alicuius rei delineare, aliud, terminorum confitantium & commodorum impositioni, saluo castitati linguae studio dare operam. Quæ obseruatio & aduersum illos valet, qui pro submissione animi modeliam dici malunt. Definitionem nostram formauimus abstrahendo ab iis præcipue exemplis & præceptis specialioribus, quæ sacra scripture exhibet; hanc omnium rurissimam viam rati, licet philosophos antiquiores, simplici naturæ lumine ductos, magistros haud profus respuumus. Quam enim sacra literæ data opera, & ex instituto, vt loqui amant, explicent hanc virtutem, commendentque; cuius gentilium doctores non nisi obscuriore mentionem in scriptis suis iniiciunt: iure verendum nobis fuit, vt alia omnia edoceremur, submissæ mentis notionem ab illis traditam temere arripiēt, neque horum cum scripture consensum potius, quam scripture cum his, offendentes. Vnde eum ordinem ingrediendum esse hac de re philosophaturo censuimus, vt principio, natura submissæ mentis, qualem hanc diuinæ oracula constituant, fundamenti loco ponatur: dein vtrum ex solius rectæ rationis principiis idem virtutis demonstrari queat, nec ne, diligenter inuestigetur; ac, si queat

queat, tum vero denique veterum philosophorum monumenta euoluantur, vt palam fiat, num eum in modum, vti par erat, ratione vñi, huic conuenientia de submissa mente tradiderint. Ita sane optime, & quae sint in hac virtute rationis dictamini cum verbi diuinii praeceptis communia, quae contra celsiori, quam vt naturae vires contingere possint, loco posita, poterit expediri.

§. II.

Perfectio est consensus variorum, perfectionis oppositum imperfectio. Nostrae imperfectiones vocantur, quae ad nos referendae sunt. Hae vel ad essentiam nostram pertinent, vel non; utraque vel corporis sunt, vel animi. Vnde, quid sint imperfectiones essentiales & accidentales, quid externae & internae, patet. Qui mentem submittit, imperfectionem quandam suam cognoscit, §. I. vel unicam solam, vel plures, essentiales, accidentales, internas, externas. Quo plures ergo, quo maiores alicuius sunt imperfectiones, quo proprius quo minores etiam cognoscit ad illum referri debent, e. g. vt defectus ad caussam deficientem liberam, eo magis mentem submittit, caeteris paribus §. I.

Non igitur huius vel illius imperfectionis viua cognitio, & inde obortum qualcumque tedium ad mentis submissae maiorem gradum constituendum sufficit; sed, vt complexus aliquis imperfectionum nostrarum, cum statu, quem determinant, cognoscatur, & ad animum regendum influat, requiritur.

§. III.

Formale submissae mentis constituimus cognitionem veram & viuam, seu mouentem §. I. Vera hic nobis est,

A 2

quae

quae represeſtent obiecta, vt ſunt; viuam latiori ſignificatu accipimus, ea vt ſit, quae prodiſt adpetitus adpetitus & auerſationes. *Alpetitus* eſt conatus perceptio-nes producendi, *auerſatio* conatus perceptiones non producendi. Prior ſupponit intuitum perfectionis ad nos referendae, hinc voluptatem; posterior intuitum imperfectionis ad nos referendae, ideoque taedium: quia non adpetitus, niſi ſub ratione boni, non auerſa-mur, niſi ſub ratione mali. Si igitur imperfectiones noſtras viue cognoscimur, taedium earum inde obori-atur, neceſſe eſt. Quatenus imperfectiones has etiam tanquam futuras & contingentes nobis repreſentamus, taedium hoc gignit earum auerſationem, quatenus tanquam neceſſario imminentes, manet ſimplex taedium. Si auerſatio imperfectionum, quam cognitione earundem viua prodiſt, tanta eſt, quanta ad remouendas has im-perfectiones requiriſtur, cognitione imperfectionum tunc illa eſt, quam philoſophi viuam ſtricto ſignificatu adpe-lant; quod ſi aduerſatio haec imperfectionum, vt tanta, ab animo praefagiatur, cognitione earundem complete mouens vocatur. Confer. V. Excell. ALEX. GOTL. BAVMGARTEN metaphys. §. 671. Quo quis igitur verius & exactius imperfectiones ſuas cognoſcit, quo maiorem earum, etiam minimarum, comple-xum cognoscit, §. II.; quo magis taedium, quod ob-eas praefenteſ & neceſſario futuras concipi, quantitatii & qualitatii earundem reſpondeſ; quo magis complete mouet cognitione eius viua, ratione contingenter futura-rum; eo magis mentem ſubmittit §. I. Quod ſtricto ſig-nificatu viua euadat, cognitione imperfectionum noſtra-rum complete mouens, pendet a reliquo cognitionis qua-

vulgo humilitate.

§

qualitatibus, cum hoc gradu vitae coniunctis, & summum gradum submissae mentis determinat.

Posset igitur submissa mens quoque definiri per taedium sui conueniens. Quum vita cognitionis non pendeat a claritate eiusdem; potest quis quasdam imperfectionum suarum confuse cognoscere, quas viue cognoscit. Potest ergo sibi ut imperfectiones suas repraefentare, quae non sunt suae, vel quae sunt perfectiones. Quatenus autem hoc facit, deest ipsi veritas cognitionis; nec ergo mentem submittit, nisi spuriam submissionem hoc nomine insignire volueris. Hinc varios gradus submissae mentis cognoscere licet, immo intelligi, cur submissae mentis nomen illi plerumque denegetur, cui veritas cognitionis imperfectionum suarum nec potiori ex parte saltim competit. Nec tamen inde, quod cuidam aliqua ex parte non competit veritas cognitionis, absentia submissae mentis concludenda.

§. IV.

Imperfectio est vel dissensus, vel simplex non-consensus. Vterque existit ex defectu realitatis. Ergo omnimode determinatae imperfectiones entis alicuius determinant gradum realitatum eiusdem. Quicunque imperfectiones suas vere & viue cognoscit, perceptiones de iis habet, quantitatib[us] & qualitatib[us] earundem conuenientes, §. II. hinc & perceptiones de gradibus perfectionum suarum singulis oppositarum. Qui ergo mentem submittit, de imperfectionibus pariter ac perfectiōnibus suis recte iudicat. §. I. III.

§. V.

Respectum imperfectionum suarum habet, qui cum cogitatione realitatum suarum considerationem gradus ea-

A 3

run-

rundem coniungit. Qui ergo mentem submittit, quatalis, quiquid agit, respectum habet suarum imperfectiōnum. §. IV.

§. VI.

Qui habitu pollet, mentem submittendi, §. I. illi virtutem submissae mentis adscribimus.

§. VII.

Quum ad cognitionem sui ipsius veram & viuam, ac habitum eius, quisque natura obligetur, ad eam vero in nobis finitis cognitio limitationum & imperfectiōnum necessario pertineat; quisque etiam natura obligatur ad virtutem submissae mentis colendam. §. VI.

§. VIII.

Qui virtute submissae mentis praeditus est, de perfectionibus suis, earumque gradibus recte iudicat. §. IV. V. Ergo intuitu earundem conuenienti modo delectatur, conuenienterque illis agit. Non potest igitur quin cum iis consentiat, corumque iudicio delectetur, qui de perfectionibus suis earumque gradibus pariter recte iudicant. Iam agnitus perfectionum latissimo significatu *honor* appellatur. Qui ergo virtute submissae mentis praeditus est, qua talis, honore, sed vero, delectatur, eiusque est studiosus.

Tantum igitur abest, ut mentis submissio honoris gloriaeque studium impediatur, ut potius illud exciter, firmet, & ordini suo restituat. Qui enim gloriae qualicunque modo studet, hoc est, id tantum intendit, ut alii se iudicent variis perfectionibus ornatum, de acquisitione earum parum sollicitus, hoc vnicce negotii datum sibi existimat, ut iudicio aliorum imponat, externarum actionum

zum splendore, quidquid est interius defectuum & infirmatus, occultet, rapiatque hominum ad sensum. Tam autem gloriam quum emendatum hominum iudicium extinguat, quod in perpetuum corrumpere difficultius est; quum porro illud ipsa illius, qui hoc seletatur, conscientia tollat, & quum aliis tribuere cogatur, in quibus illae perfectiones vere deprehenduntur: profecto nulla est, & verum dedecus. Contra cuius menti imperfectiones suae adeo viuis coloribus expressae adparent, ut simul naturam pondusque earum ad veritatis trutinam quoquis tempore examinare possit, horret gloriam, errore & suo & alieno adquirendam, ac hoc ipso iudicium hominum de veris, quibus pollet, perfectionibus, verum, confirmat.

§. IX.

Habitum tanquam imperfectiones nostras viue cognoscendi, quae non sunt, vocabimus vitium animi abiecti. Quatenus ergo, qui mentem submittit, imperfectiones sibi tribuit, & viue cognoscit, quae non sunt, eatenus delabitur aliquo gradu in vitium animi abiecti. §. III.

Non solum igitur exiguo intervallo distant in se diuersissima, virtus submissae mentis, & vitium abiecti animi, sed & in eodem subiecto ita plerumque coniuncta deprehenduntur, ut a posteriori fieri debeat denominatio. Ex quo intelligitur, quanto magis distincta & exacta est imperfectionum nostrarum cognitio, salua eius vita & amore, tanto excellentiori gradu tribui nobis debere virtutem submissae mentis. Qui autem vitio abiecti animi adeo deditus est, ut ab hoc debeat denominari, vel tribuit sibi imperfectiones tanquam suas, quas non habet, vel quasdam, quas habet, aut habere potest, perfectiones, imperfectiones esse cogitat. Posterioris magis usu venire videtur, & ex pigritia, turpique societate plerumque originem

ginem dicit. Vbi enim otium perpetuum summum bonum a quopiam est constitutum, facile ipsi sordecent perfectiones non nisi labore & industria adquirendae; vt hinc & ipsa vis quatenus ad has perfectiones conciliandas adhiberi debet, imperfectiōibus ab eiusmodi homine accenſeatur.

§. X.

Virtute submissae mentis praeditus auerſatur imperfectiones suas, quas tanquam futuras & contingentes concipit, modo, quantitatī & qualitatī earum conuenienti §. III. Quidquid autem auerſamur, illius oppositum adpetimus, & quantum illud auerſamur, tantum hoc adpetimus. Virtute igitur submissae mentis praeditus tantum adpetit perfectiones, imperfectionibus huius generis oppositas, quantum harum quantitatī & qualitatī conueniens est. Hinc & tantum facultates corporis sui, & animae ad eas perfectiones adquirendas determinat.

Vitio abiecti animi laborans tanquam imperfectiones suas sibi repreſentat, quae non sunt. Ergo quasdam perfectiones suas auerſatur. §. IX. Hinc oppositum earum, id est, quasdam imperfectiones adperit. Hinc facultates suas non determinat conuenienti modo ad adquirendas perfectiones imperfectionibus suis oppositas.

§. XI.

Virtute submissae mentis ornatus, dum imperfectiones suas viue cognoscit, de gradibus perfectionum suarum rite iudicat. Ergo & easdem rite confert cum perfectionibus aliorum, illarumque gradibus, & actiones suas huic cognitioni conuenienter determinat. Quatenus id facit respectu aliorum hominum, vocatur *submissus erga*

erga homines, quatenus vero respectu summi numinis, appellatur *submissus erga deum*.

Virtute submissae mentis praeditus, dum imperfectio-
nes suas viue cognoscit, cognoscit viue defectum quarun-
dam realitatum in se, ergo & has realitates ipsas. Hae
realitates, quatenus in aliis deprehenduntur, constituunt
discrimen quoddam inter nos aliosque intercedens. Qua-
tenus ergo submissa mente ornatus perfectiones suas cum
aliorum perfectionibus rite confert, viue cognoscit discrin-
men, quod inter se aliosque intercedit, & quidquid agit,
qua talis, respectum habet huius discriminis.

§. XII.

Submissus erga alios, dum perfectiones aliorum vi-
ue cognoscit, adipicetus suos & auersationes suas huic co-
gnitioni conuenienter determinat, §. III. V. hinc moti-
ua agendi ex iisdem desumit, hoc est, debito cultu alios
prosequitur.

Neque igitur ad submissionem erga alios promiscua er-
ga omnes reuerentia, sive, vt aiunt, humiliatio requiri-
tur, neque cultus, legibus ciuilibus, & consuetudine ho-
minium praescriptus ad eandem praestandam sufficit. Prior
plane esset naturae submissae mentis contraria; vel enim
indifferentiam erga gradus perfectionis argueret, vel hy-
pocrisia, seu fastum quendam subtiliorem. Quo ex fon-
te omnis plerumque affectatio submissae mentis manare
solet, eo diligentius habitum externum vere submissorum
imitari solita, quo segnius internum illud studium tractat,
in quo caput & cardo virtutis versatur; in eo tamen vt
forex se se prodens, quod vitium abieicti animi potius ne-
scia simuleret, quam virtutem submissae mentis. Posterior,
seu cultus, aliis reipublicae membris ex dignitate, qua in
eadem verfan:ur, exhibendus submissae mentis exercitio
B non

non excluditur. Sed quum illae perfectiones, quibus maxime reipublicae commodis inservire aliquis potest, nec partem principem perfectionum hominis constituant, nec in iis semper apprehendantur, quibus reverentiam ciuilem & externam debemus; hinc omnis ad hanc obligatio a legibus ciuilibus, praesertim positivis, pendeat: mentis submissio, quae perfectionum maxime internarum alios ornantium viua cognitione ntitur, pro harum diuersitate gradibus variat & internis, & externis, sicut cultum publicum legibus prae scriptum, saluum relinquat.

§. XIII.

Gradus perfectionis meae totalis cum gradu perfectionis alterius totalis perfecte idem esse nequit (per princ. indiscern.). Ergo vel alter est me perfectior, vel ego perfectior sum altero. Alterutrum horum vel certe, vel probabiliter, vel dubie cognosco. Primo & secundo casu quid mihi submissio faciendum, liquet ex §. XI. Tertio casu vel in tali nexu constitutus sum cum altero, vt iudicio meo de ipsis perfectionibus opus sit, vel non. Si posterius, iudicium meum de illius perfectionibus suspendo, quod & in iis negotiis obseruo, vbi iudicium certum vel probabile necessario requireretur. Si prius; ne perfectioni alterius, quam ignoro, conuenienter non agam, alterum me iudico perfectiorem, donec probare possim contrarium.

Nihil hac in re abieci, nihil dedecoris, contra multum humauitatis, multum etiam prudentiae ineft. Ignatas perfectiones, etiam si plus quam par est, veneremur, dummodo in simulationis suspicionem illabi nos non patiatur facies & nexus rerum, in neminem peccamus, sapientis laudes, cuiuslibet amorem & existimationem memor.

vulgo humilitate.

temur. Latet in contrario praeiudicium aliquod nimiae confidentiae sui quo qui delusi contemtum vniuersalem ad examinandas aliorum actiones & virtutes adferunt, neminemque paria secum facere ausurum existimant, certissimum opprobrii periculum incurunt. Submissus, quantumvis in metiendis aliorum perfectionibus errauerit, innoxie errat, fastus & abieicti animi speciem optime deuicit, saepeque in alterius animo stimulos relinquit, ad veram, perfectionum falso tributarum, acquisitionem, incitantes. Optime etiam speciales alterius perfectiones recensendo, nos a periculo erroris eo magis liberamus.

§. XIV.

Quicunque eo consilio agit, ut alii ex actionibus suis perfectiones, quibus eminet, agnoscant, gloriae caussa agere dicitur. Iam submissa mente ornatus gloriae, eiusque verae est studiosus §. VIII. Hinc delectatur iudicio aliorum vero, de veris, quibus eminet perfectionibus. Longe maxima autem pars perfectionum nostrarum posita est in vi nostra, quae ergo non nisi ex exercitio vis, hinc ex actionibus cognosci possunt. Quare submissa mente ornatus agit gloriae caussa, eiusque verae.

Gloria vera, gaudium ob honorem verum comprehen-dimus, qui agnitus est verarum perfectionum. Quod solum, si rite obseruerit, variis satisfacit obiectionibus. Multi religionem, seu directionem omnium actionum ad gloriae diuinae manifestationem; nonnulli quoque illud officium, quod propriam gloriam in certis casibus negligendam iniungit, ne aliorum in discrimen veniat, e diametro opponi posse his putant, quae in §. adserimus. Prius urgent, qui collisionem defendunt officiorum. Qui tamen, nisi vaga officiorum definitione vtantur, & hoc nomine omne id complectantur, quod non per se vetatum est, & ad quod in certis casibus obligari possumus,

Meditationes de Submissione mentis

peccant sane in naturam officiorum, ac temere potius, quam aderante inter officia absolute & in nexo talis distinguere videntur. Arctissimum vinculum, quo summum numen salutem spirituum cum perfectionum suarum manifestatione coniunxit, non patitur, vt bonum nobis, vt officium nostrum vocemus, quo gloriae diuinae patefactionem impeditus. Quo fit, vt casus existere nullus posse mihi videatur, vbi quid gloriae nostrae verae cauila facere possimus, quod non eo ipso diuinam illustret. Ad posterius similia regeri possunt. Officiorum striete dictorum collisio nulla est, est vero perfectionum, illarum scilicet, a quibus non pendet summi boni adquisitio, hinc respectivarum. In quibus si e. g. bonum publicum cum bono priuato, bonum corporis nostri cum bono animi alterius praeccellente in collisionem veniat, recte quidem a minori perfectione excipitur, & imperficio partialis in nobis admittitur. Quum autem haec ipsa exceptio rite facta, testis sit perfectionis maioris, immo ipsa ponat perfectionem maiorem in nobis, ea, quam negleximus: iterum gloria nostra non decrescit, sed crescit, neque id non gloriae nostrae verae cauilla fecisse putandi sumus.

§. XV.

Facultas libere agendi vocatur *ius* in genere. Facultas autem quum sit possibilitas agendi respectiva: cuidens est, quo magis varia in nobis consentiunt, hinc quo pluribus gaudemus perfectionibus, eo plures facultates agendi, eo plura iura nobis competere. Mentem submittens viue cognoscit aliorum perfectiones. §. XI. Ergo & eorundem iura adprobat.

Hinc intelligitur, mentem submissam innumeris modis iuuare studium seruandorum officiorum. Etenim, quum in statu hominum sociali, qualis nunc quidem est, sint quae

quaedam iura & officia imperfecta, perfectis opposita, quibus vis externa nouum robur conciliat; virtus submissae mentis quelibet veri nominis officia aequa acuit, tantamque vim imperfectis addit, quantam possunt perfectis leges ciuiles adiungere. Quare, qui submissa mente ornatus est, multo facilius, quae ipsi incumbunt, officia, exsequitur, caeteris omnibus, qui praecuditicis occoecati, parum perfectionis in aliis agnoscunt, hinc ignorantia satis vincibili magnam officiorum suorum multitudinem ignorant, tisque seruandis sese subducunt.

§. XVI.

Fit saepenumero, ut imperfectiones ab aliis nobis tribuantur, quae procul a nobis absunt. Fit vero etiam, ut tunc alii imperfectionibus laboremus, ab illis quidem diuersis, iisdem tamen non penitus absimilibus, pondere potius & multitudine fere aequiparandis. Hoc in causa illi iniurii quidem in nos sunt, quoad determinaciones individuales, non vero quoad momentum imperfectionum nobis tributarum. Hic, qui submissa mente praeditus est, concipit quidem taedium ob iniuriam sibi illatam, perfectionum suarum gnarus §. IV. Sed imperfectiones suas simul viue cognoscens, falso tributis aequiparandas, taedium illud sapienter moderat.

Egregium igitur usum praefstat virtus haec in fraenardis affectibus, praesertim odio & ira; acceditque animos, ut falsis aliorum criminationibus magis emendatione reali respondeant, quam conuiciorum reciprocationibus. Verendum enim est, si defensioni iustae odium calumniatoris addamus vehementius, ut ille & imperfectiones nostras veras, quae adhuc bono nostro latuere curiosus inuestiget, inque lucem protrahat, & hoc si praestite-

stiterit, faciat quoque prioribus calumniis fidem. Accedit ad haec consideratio nexus rerum a deo sapientissimo consilio collocatarum, etiam, quod ad mali permissionem adtinet. Hac enim consideratione qui ducuntur, & culpa sua sibi inherentes imperfectiones agnoscunt, facile huius generis calumnias in poenarum naturalium numero ponunt, & parum iniuriae sibi factum agnoscunt.

§. XVII.

Imperfectionum humanarum praecipuum partem constituant morales, seu peccata, quae statum nostrum variis modis reddunt deteriorem. De his igitur, quatenus actiones submissi determinant, curatius nobis disciendum. Quemadmodum 1) mala metaphysica ad ea in nobis non pertinent quae mutationi subsunt, sed effectiae potius, ipsi necessarios limites ponunt, ita, quem humanitatis vti par est, non pudet, ex malorum metaphysicorum intuitu taedium sui concipere non poterit, nisi respectuum, & minimum. Respectuum dico; licet enim adesse taedium sui debeat in submissio, etiam in statu summae perfectionis possibilis posito, quia alias non nisi perfectiones in se vine cognosceret, & absolute *avergentia* se falso iactaret, hinc submissioni nullum locum relinqueret; idem tamen alio respectu habito in gaudium euadit, quatenus malorum metaphysicorum adcuratior cognitio eum gradum perfectionis tutius denique contemplandum relinquit, qui tantus in homine eminer. Quare & minimum hocce taedium recte dicitur. Quod 2) ad mala physica stricte dicta adtinet, quae submissum premunt, ea sunt aut moralium rationata proxima, aut non sunt. Priori casu eorum submissum tantum taedebit, quantum caussarum, e quibus proveniunt. Posteriori casu

casu maius quidem taedium creabunt, quam metaphysicæ ; reddit enim statum miseriorem, qui felicior esse potuisse per essentiam, & multiplicant malum, dum metaphysicæ coexistunt, §. III. Verum quum a libertate nostra proprius non pendeant, nec ergo sint ad nos proprius referenda, pendeant tamen, si ad permissionem attendis, a libertate entis sapientissimi, & sint cum fundamento gaudendi coniuncta ; gradum taedii excitabunt, taedio ob mala moralia necessario multo inferiorem. Hoc igitur 3) taedium ob mala moralia summum in submisso esse debet, tum ut caeterorum omnium complementum, tum ob proximam horum malorum ad submissum relationem, tum ob viuam horum omnium cognitionem.

Taedium sui ob mala metaphysica nouimus in primis hominibus omnem lapsum & declinationem a lege divina proxime antecessisse, & elationi turgidae potius, quam submissioni viam muniuisse. Notandum tamen, hoc suisse taedium, vero gradui cognitarum imperfectionum minime conueniens, & e confusissima representatione exortum. Nec mala haec ut metaphysica, & necessaria sibi representare potuerunt, sublationem eorum tentantes, sed de contingentia eorundem persuasi, non satis vel virium, vel voluntatis in deo, quibus his conaminibus resistere posset, agnouere.

§. XVIII.

Peccatum est aberratio a lege. Lex praescribit officia erga deum, erga nosmetipos, erga alios homines ; iisque horum respectu dat iura, quia nulla obligatio sine iure eius, respectu cuius obligamur. Quicunque ergo peccat, ius alterius violat, cumque laedit. Quatenus laetus deus est, cum eius iure summum ius cogendi conexum

nexus est, hinc obligatio nostra perfectissima, vel ad seruandum officium, vel ad satisfactionem praestandam, vel ad poenas sustinendas. Si primam, alteramue transgressi fuimus, ponitur tertia, hinc ponitur in nobis imperficio. Submissus imperfectiones suas viue cognoscit; ergo submissus, qui peccauit erga deum, viue cognoscit obligationem ad poenas diuinis e peccatis suis ortam, cessante satisfactionis propriae remedio. Viuam cognitionem obligationis nostrae ad poenas diuinas sustinendas vocare possumus in genere *contritionem*. Ergo submissus, qui peccauit erga deum, est contritus. Sublatio legitima iuris poenarum, quod alteri in nos competit, ob peccata erga se commissa, vocatur *expiatio* illorum peccatorum. Ergo submissus, qui peccauit erga deum, quoniam perfectiones, imperfectionibus suis oppositas conuenienti modo adperit, §. X. expiationis peccatorum suorum erga deum commissorum est studio-sissimus.

Hae animi mutationes salutares, quas mens submissa promouet, existunt proprius ex relatione ad laesum, hinc ad statum submissi externum, quatenus ille malis moralibus redditur deterior. Sed quum quodlibet peccatum etiam habitum peccandi augeat, hinc interno hominis statui damnum inferat, submissus, hanc quoque imperfectionem viue cognoscens, taediumque sui inde concipiens, virtute sua ad emendationem voluntatis, conformatiōnemque actionum liberarum ad legem fortissime incitat.

§. XIX.

Quatenus Iesus est homo, §. XVIII. obligatio nostra erga eum aut fuit imperfecta, aut perfecta. Si posterius,

sterius, hic quoque, & quidem per se, expiatione opus est, §. XVIII. Si prius, obligatio tamen vim perfectae nacta erat ex representatione & iudicio submissi, §. XV. Secundum eandem igitur representationem laeso tantum ius tribuit, quantum ipso obligatio aliqua vere perfecta sibi incumbens conciliasset; hinc tunc quoque expiationem necessariam iudicat. Haec inter finitos variis modis fieri potest. Aut enim pendet a laeso, & tunc via condonationis gratuita, seu adgratiationis locum habet; aut a laudente, vbi vel satisfactione, vel compensatione, vel ipsa poenarum perpetuacione opus est. Submissus, qui in hominem peccauit, viue cognoscit admis-
fam imperfectionem moralem, tam internam, quam ex-
ternam, §. XVIII. summis adnumerandam §. XVII. Ex-
ternam non nisi expiatione tollit; tamen quum tollere
maxime allaboret: vel laeso satisfacit, vel damnum illa-
tum compensat plenarie, vel, si hoc nequeat, poenis iu-
stis sese subiicit, vel adgratiationem quaerit.

Quaestio heic duplex moueri posset, 1) an propter peccatum in fraudem obligationis imperfectae commissum laeso incognitum expiatio a submesso institui debeat? Respondeo: si omnino nulla sit expiatio, motiva agendi ex iure, hinc ex perfectione alterius nulla desumuntur, & in-
differentes sumus erga imperfectiones alterius, quorum nos sumus causa libera, quod contra notiones submissi,
§. II. X. suppeditatas. Si vero expiatio haec per compen-
sationem damni plenariam fieri aequis inscio laeso potest,
sic commodissime viuam imperfectionis nostrae & perfe-
ctionis alienae cognitionem testamur, malumque tolli-
mus. Quod si vero haec compensatio facta fuerit im-
possibilis; queritur 2) an manifestatione ac deprecatione
peccati semper opus sit, si quidem submissae mentis edere
veli-

velimus testimonium? Distinguendum remur, & prudenter circumspiciendum, praesertim, qualis sit animus laetitiae, tum in se, tum respectu ad nos habito. Multa his submissae mentis egregiis indiciis pessime abutuntur, non Solum ad extollendum semper supercilium, & ad nescio quid sibi in tales homines deinceps arrogandum, sed magis etiam ad exponendam ludibrio virtutem nobilissimam, eique deditos. Huius furfuri hominibus ansam peccandi sine omni dubio porrigitur, talia deprecantes; praesertim, si valeant in suspicionem animi abiecti vniuersalem nos inducere, quae in omni submissae mentis exercitio studiofissime cauenda. Quare, sitale periculum extimescendum sit, cogitemus, imperfectionem in laeso nullam remoueri, si maior ea, quam laesio inuoluit, deprecatione ponatur; expiationem igitur tali in casu esse moraliter impossibilem, remque bene gestam, si modo, quatenus idem peccatum in deum est commissum, facta sit expiatio. Hinc conditio laeti & laudentis, hoc in casu regulas praescribit, que in genere, ad hanc dijudicantur: si maior imperfectione inde certe oritur, imperfectione alteri illata non deprecanda.

§. XX.

Modestia est habitus falsa aliorum de perfectionibus nostris iudicia quoquis modo legitimo impediendi, seu habitus nobismetiis nullas perfectiones illegitime adscribendi. Hinc submissus, qui de suis perfectionibus recte iudicatur, §. IV. & gloriae verae studiosus est, §. VIII. est etiam modestus.

Modestia haec tam ad iudicia aliorum ipsa, quam ad signa illorum, quibus honor externus complectitur, pertinet. Reuici enim honor externus sine turbatione ipsius aliorum de perfectionibus nostris iudicii, non potest & semper, si vaciller, sapientibus remedii restituendus. Sed si id praejudicis vitiaque hominum impedian, nec honor exter-

externus, nisi vitiorum ministerio seruari possit, imperfe-
ctio haec minor cum taedio moderato, & ad imperfectio-
nes morales, tanquam causas maxime relato §. XVI, vi-
que est admittenda. Adiumento sumus huic modestiae
exercitio, si ad imperfectiones nostras nobismetipis incor-
gnitas frequenter respicimus. Fit enim fere, ut lateant
quidem naeui etiam studiosissime inuestigantes, possint
vero ab alio faciliori negotio animaduerti. Horum cau-
sa honor externus optime moritorum, casu quodam for-
tunae saepe plus quam par est minuitur; sunt tamen ac
manent defectus, & ingredi debent accuratum submissi
hominis de semetipso iudicium. Hinc si contra omnem
opinione pars quedam honoris externi, e.g. munus pu-
blicum, quo dignos nos praeuia quoque diligentissima ex-
ploratione iudicamus, nobis denegetur; submissi ac mo-
desti est, non statim malignitatem fati & iniquitatem ho-
minum in merita & virtutes adculare, sed cognitionis sui
ipsius inde augere *angustiarum*, & rationem fati in semetipso
inuestigare. Hoc tamen non obstante, in perfectionibus
aliorum quoque diiudicandis non a recta veritatis via aber-
gare admittitur.

§. XXI.

Actionibus bonis sunt a natura consequentia bona
coniuncta, malis mala. Quae etiam vt praemia ac poe-
niae arbitriae repraesentari debent ab omnibus, qui de
existentia entis intelligentis infiniti, quod auctor naturae
est, sunt coniucti. Haec consequentia actiones bonas non
semper proxime excipiunt, sed saepe e longinquo subse-
quentur; ac sicuti in serie actionum nostrarum malae
sunt bonis permista, sic in serie consequariorum eadem
mixtio secundum eosdem gradus obseruatur, ita tamen,
ne quid ex collocatione eorum detrimenti bonum publi-
cum ciuitatis dei capiat. Quumque etiam rigorissimum
C 2
sui

sui examinatorem quaedam imperfectiones effugiant, §. XX. ex his omnibus evidens fit, iniustas esse hominum querelas de tempore & quantitate praemiorum, quae actionibus suis bonis meruisse sibi videntur. Submissus, qui imperfectiones suas viue cognoscit, nec incognitas negat, §. XX. sola praemia bonarum actionum quantitati aequali modo respondentia, a natura & eius auctore nunquam expectat, defectum vero & moram praemiorum, immo poenas praeter meritum infligi visas, tum ex ordine ac nexus rerum sapientissime constituto, tum ex imperfectionibus ignotis deriuat.

Hoc submissae mentis exercitium eminet in officiis erga deum §. XI. Sic enim ex naturae quoque lumine, suo modo pater, quomodo calamitatibus, quae praeter meriti opinionem accident, recte vtendum, & quantum opus sit ad hoc submissae mentis studio, sine quo vix poenae luctuoso iure sustinenda aequo animo excipiuntur. Saluberrimum est, quotiescumque prouidentiae viae asperae nimis & inexplicabiles nobis videantur, in nobismetipsis exquirere, soluendis hisce nodis apta remedia, hoc est, augere defectuum scientiam, qui supersunt in nobis remouendi. Raro sine omni fructu haec inuestigatio instituitur; etiam si enim nouos defectus haud ostendat, habitum tamen auget cognitionis sui ipsius, & adsuetudinibus ordinis prouidentiae.

§. XXII.

Status civilis variis hominibus varias conciliat perfectiones externas, maiores, vel minores, prout vel maiorem vel minorem ad salutem publicam promouendam habent relationem. Principium ergo diiudicandi has perfectiones, differt ab eo, quo internas discernimus. Licit

cet enim quantitas illarum, quae libere a republica trahitur, ex quantitate internarum a republica si aestimanda ac tribuenda; tamen, si hoc neglectum sit, a ciue individuo mutari hic nihil potest. Jam vero & has perfectiones aliorum submissus viue cognoscit, & hanc cognitionem signis externis declarat. Discriumen autem huius externi honoris variis, ob varias perfectiones externas ciuiles debiti, consensu ciuum, qui instar legis est, iam est constitutum, & decorum publicum appellatur, ad quod obseruandum unusquisque obligatur. Ergo submissus, diuersis hominum perfectionibus ciuilibus diuersum honorem decernens, decorum publicum sequitur, ac etenus *urbanus* audit.

Peccant itaque, qui animi submissionem tum demum rectissime coli existimantes, vel urbanitatem omnino negligunt, vel decorum aliquod, quod non publici saporis est, introducunt. Priores falluntur, quando se aliorum virtuti ac meritis derogare, aliorum vitis blandiri debere hoc modo arbitrantur; quippe saluum urbanitatem colentibus, manet de perfectionibus hominum internis iudicium, cuius tantum externa significatio restringitur, neque quisquam cogitur internum honorem alicui habendum, huic externo accommodare. Neque igitur, quae signa honoris urbanitas complectitur, nisi per accidens cum signis honoris interni congruent, neque quisquam ciuum in republica eminentium virtutes suas & perfectiones internas, ex cultu, qui sibi praestatur, externo, debet aestimare. Parvi modo vituperandi sunt, qui animo parasitico in colendis iis, a quibus, ob perfectiones ciuiles, pars felicitatis suae externae pendere videtur, modum omnem excedunt, tum certe vniuersi omnium minime submissi, quia rectum de perfectionibus fautorum internis iudicium, tam seruilem cultum impedit. Fit quoque ex his pronum ad intelli-

gendum, quomodo ad urbanitatem & submissionem animi, officium seuerius in vita, etiam superiorum inuenientis possit attemperari. Qui ad clavum reipublicae sedent, vel alio quoconque celsiori loco inter reliquos ciues sunt constituti, horum auctoritatem quid magis firmare potest, quam constant ciuium de perfectionibus illorum iudicium, & hinc pendens voluntaria & minime coacta reverentia? Vtile ergo est reipublicae, quasdam principum & optimatum imperfectiones, quae horum auctoritatem minuerent, in publicum non prodire. Quare omnibus occasionibus, vbi liberior in hos animaduersio nostram de eorum imperfectionibus sententiam publicam omnium faceret, urbanitatis esse videtur, tacere; quo opus non esset, si submissionem animi omnes sancte colerent. Quorum autem obligationi recte de cuiuslibet perfectionibus & imperfectionibus sentiendi, accedens peculiaris sparta, quam ornare operet, censuram vitiorum etiam in superioribus priuatam, in jungit, minus tutum refugium in urbanitate nauci videntur, si officio desint. Modo enim temporis locique, quas dicunt circumstantiae non negligantur, hic, credo, luculentissime adparebit inter honorem ob perfectiones ciuiles debitum, & ob internas praestandum discrepantia.

§. XXIII.

Quoties bonum minus, quod cum bono maiori colliditur, tanquam verum malum viue nobis representamus, dicimus prius abnegare. Quum igitur submissus imperfectiones suas viue cognoscat, §. I. ideoque de perfectionum suarum gradibus rite iudicet, §. IV. hinc maiores minoribus praeferat, non potest non, perfectiones minores, quae colliduntur cum maioribus ad adquirendum sibi propositis, vt impedimenta boni possibilis, illius scilicet, quo illae ab his vincuntur, hinc vt vera mala sibi viue representare, easdemque abnegare.

Habie-

Habitus ille, qui virtutem abnegationis absoluit, respectu tantum bona spectat, ac inter comites submissae mentis virtutes iure suo referuntur. Vocabimus autem respectuua bona, quibus salua summi boni fruitione carere possumus; abneganda hinc, quotiescumque his seruatis maior perfectio, etiam in aliis, impeditur; si secus, seruanda. Hinc contentus diuinitarum, honorum, voluptatum in submissis; non ille specialis quidem & aetui animi adscribendus, si philosophorum quis contemplatiue vitae, aut si quis vir fortis famae rerum bello gestarum omnia consecrat, ac in his tanquam aliquo fonte deliciarum inexhausto caetera omnia hilari animo submergit; neque ille cynicus & immodestus, qui gloriam & opes non nisi laboris tedium subterfugit; sed ille rationalis & vniuersalis, vbi examinato cuiuscunq[ue], quod videtur, boni pondere & relatione ad summum bonum, quibus in casibus eadem res verum bonum maneat, quibus tantum adpareat, sic manifestum, vbi gloria falsa negligitur, sed ut vera adquiratur, vbi opes quidem, sed tum, si onere suo nos impediant, ad salutem pergentes, tum si auxilio sint aliis, eamdem viam inservientibus, remouentur; uno verbo, vbi, illa quae abnegantur, bona sunt, tum deum eo ipso rellissime, & scopo suo conuenientissime adhibentur.

§. XXIV.

Ex haec tenus dictis adparet 1) virtutem submissae mentis virtutibus vniuersalibus, quae non certum tantum statum socialem vel ciuilium decent, sed omnem omnino hominem ornant, in quounque sit statu positus, esse adnumerandam, §. I. 2) exercitum eius externum in diversis hominibus pro caeterorum officiorum varietate variare debere, adeo ut saepe facilis & luculentioribus signis expediri possit, verum submissae mentis studium, utrum in illo, quam, utrum in hoc deprehendatur, quibus

bus id caeteroquin aequa curae cordique est §. XXIII.
 3) nomen huius virtutis, quia praeiudicium singularis perfectionis iunctum habet, magis quam vlliis alius virtutis, hypocriseos & falsae religionis improbis conatibus patere, & ad errores theoreticos tegendos pessime viurpari. Quare characteribus eo magis opus est, distinguendae submissae menti a cognatis vitiis, abiecto animo, fastu subtiliore, hypocrisi, socordia, & superstitione, idoneis, quo facilius haec omnia in vita communingente periculo studii virtutis confunduntur.

Esse virtutes minus vniuersales, quae tantum ad statum certum pertinent, non facile quis negabit, qui e.g. magnificentiae, reuerentiae erga superiores finitos, liberalitatis, cet. conceptus sibi legitimos formauit, licet lubentes concedamus, esse has virtutes species ac quasi ramos virtutum vniuersalium. Si horum particularium numero submissam mentem eximendam dicimus, peculiarem eius locum in hominibus inferioris conditionis non excludimus, ad quorum imperfectiones internas, quum multae sociales & ciuiles, grauissimae etiam, accedant, his quoque actionum maior complexus ex imperfectionum via cognitio-
 ne, ceteris paribus, deriuandus est, quam aliis ; licet in hominibus lauioris fortunae eiusdem virtutis studium saepe difficultius & cum maiori abnegatione coniunctum sit, hinc plus moralitatis habeat. Quod tertio loco monuimus, illis maxime perspicuum erit, qui inter exercitorum pietatis varia genera, quibus olim religio, nescio an magis onerata quam ornata sit, oculos suos circumducunt. Vespasianum illud : *lucrī bonus odor ex re qualibet, tot habuit sectatores, vt non raro omnia & sanioris philosophiae & religionis praecepta extinxerit, eorumque exercitia infamarit.* Sic & submissa mens, postquam paucorum esse coepit, & haud vulgaribus perfectionibus adnumerari, turpis

turpis lucri & insani fastus velamentum facta est apud totas hominum societates , qui id vnicē egere , vt popu-
lum externi submissorum habitus imitatione , ad turpem
sui venerationem , & immodicas largitiones abriperent.
Habuit tale quid apud veteres iudeacos pharisaismus , quod
submissam mentem erga deum praestandam spectat , abiis
hominibus quidem , si res verbis , & gestibus , & cærimo-
niarum religionis anxia obseruatione confecta forer , abun-
de praestitam ; omnium autem negligenterissime , si , quod
res est , cum ea haec externa nihil sunt , simulac testes esse
desinunt animi imperfectionum suarum , maxime mora-
lium , viua cognitione prostrati . Non absimilia hisce vi-
demus in monachatu pontificio , cuius auctoritas eo ma-
xime creuit , quod speciem submissae mentis præ se tulit .
Occoecavit hominum oculos paupertas illa voluntaria ,
tam insigne medium praestrandae & erga deum , & erga
homines submissae mentis visa ; obtenebrarunt animos ri-
tus & consuetudines , statum vere submissorum internum
ad viuum fere in rebus externis delineantes ; turbarunt
narrationes , quibus his rebus singulare meritum ac diuina
quasi confirmatio adiungebatur : vt in coelum ordo mo-
nachorum laudibus tolleretur , fructusque eius religionis
magna pecunia emerentur . Sed & in vitam ciuilem ac
res hominum priuata migrari haec submissae mentis ad-
sestatio , nec hic minus turbarum damniique efficit , præ-
sertim , vbi vel superbiae principum abdulantia signis ex-
ternis omnes reverentiae hominibus debitas limites tran-
silijit , vel imprudenter ad imitationem ab imperitoribus
tracta in vitium abiecti animi degenerauit .

§. XXV.

Ad criteria submissae mentis §. XXIV. certiora iure
referuntur 1) notum in subiecto , de quo quaeritur ve-
tarum perfectionum studium 2) notae in eodem facul-
tates,

D

tates, ad gradus perfectionum & imperfectionum discernendos necessariae 3) excusatio alienorum defectuum suspicione carens 4) aperta calamitatum, quibus premimur, ad mentem emendandam adPLICATIO, 5) facilis cum iis, a quibus laeti sumus, reconciliatio, praesertim si circumstantiarum ad eandem necessariarum ipsa dispositio & laeso facta sit, sed, quantum fieri potuit, priuata, minimeque ad ostentationem comparata, 6) in hominibus magno gradu malis, vitiisque deditis perfectionum verarum plerisque obscurarum, obseruatio 7) in defendendis actionibus nostris, commendandaque aliis virtute, ad exempla eorum, qui inferiores nobis & fortuna & existimatione sunt, crebrior prouocatio, praesertim si eorum virtus aliis cognita fuerit, 8) erga illos, qui imperfectum nostrarum quasdam antea incognitas nobis patefacere audent, etiam si ad id propius obligati haud fuerint, amor ac grati animi manifestatio 9) defectuum vitiorumque nostrorum, non apud imperitos & laudibus nostris praeoccupatos, sed apud prudentes, pios, & sagaces ingeniorum scrutatores confessio; 10) vere submissorum societas ac familiare consortium. Quorum, si vel singula, vel plura saltim in iis deprehenduntur, quorum externas actiones, an submissae menti, quam exprimunt, veram originem debeant, lubet explorare, fidem rei facient non exiguum. Sunt enim ita fere comparata, si plura, ut par est, simul sumiseris, ut vel cum abiecto animo, vel cum fastu subtiliore & hypocrisi difficulter constistant.

§. XXVI.

Liquet porro ex superioribus, mirifice falli, qui submissam mentem cum primariis nonnullis reliquarum virtutum, praesertim vero magnanimitate, & hilari eructo que animo,

animo, simul coli non posse arbitrantur, ideoque virtutis nomine indignam censem. Praeter et tamen, quae iam anticipavimus §. VIII. XIII. cet. ad hos refellendos notandum 1) magnanimitatem esse habitum, vires suas in non nisi magnis & dignis occupandi. Quis autem nobis persuadebit, imperfectiones & defectus varii generis in hominis natura obuios tanti non esse, ut adsiduam scrutationem, viuamque cognitionem mereantur? quis negabit, tot, tantaque esse horum defectuum consecaria, quot quantaque realitatum ipsis oppositarum? & quis denique non concedet, perfectionum verarum, hinc gloriae, studium, a submislae mentis exercitio inseparabile, ita dignum esse humana natura, quam quid dignissimum? 2) hilaritatem animi non omnem esse laudandam, sed illam tantum, quae vim perdurandi insitam habet, hinc recte factorum conscientia nititur. Ad hanc autem quum imperfectionum cognitione & remotio requiratur, strata utique crebris taedius est via ad statum hilaritatis. Ac velti in morbis quam plurimis ingrauescit periculum, quando adfectus dolorifici ex exterioribus corporis partibus, citius iusto & violenta quasi manu pulsi imis visceribus insinuantur: sic, quibus singula taedia ex animo relegare placet, priusquam via ordinaria regrediantur, his maximo cum discrimine oneratur conscientia, ac summa taediorum manet sustinenda. In omni tamen taedio, quod subnissam mentem caussam haberet, latet voluptatis lange maioris fundamentum, ac in genere laetitia vniuersalis & adest, & crescit, ubi in officiis faciendis rite pergitur.

Si strictiori significatu magnanimitas accipitur, ut nomine eius veniat habitus, insufficientiam alienorum molimini.

minum ad felicitatem nostram impediendam viue cognoscendi, amicissimas & hic manus iungunt magnanimitas & mens submissa. Immo haec illam mirum quantum promouet, dum, quam illa tantum impedit, vindictae cupiditatem & animi exacerbationem, haec in amorem etiam, & emendandi studium transfigurat, in semet scilicet deprehendens quoque fontem imperfectionum & malorum, quae apud alios in odia & inimicitias erumpunt. Hinc maxime prona est ad excusationem, maxime studiofa reconciliationis.

§. XXVII.

Quae maxime mouere nos possunt ad virtutem submissae mentis diligentius colendam, partim eadem sunt cum iis, quae ad cognitionem sui ipsius quemque incitare debent, conf. §. VII. partim aliquid continent peculiare. In his esse videntur 1) quod innumeris affectibus molestis viam submissa mens praecidat, alio modo vix ac ne vix quidem euitandis. Non nisi perfectionum suarum sibi conscientes, quoties ad iram prouocatur, cum de vna alteraque harum vel leue mouetur dubium? quoties terrore percellitur, si exigua quaedam rerum mutatio ingentem defectuum, & imperfectionum, quibus laborat, cumulum, in lucem protrahit, ipsisque qui se adhuc depravarat, considerandum fisiit? quoties pudore suffunditur, cum tandem verissimum, immo lenius, quam par erat, aliorum de imperfectionibus suis iudicium deprehendit? 2) quod in iudicandis iis, qui se laudatores, vituperatores nostros praebent, amicorum, inimicorum speciem praese ferunt, optimum praefest auxilium. Fluuant saepe animi, & quo se vertant neciunt, si aliorum sermonibus ac iudiciis nimis ducuntur. Laudum scopus saepe non nisi exstimum latio

latio ad bonum est, quod etiam tum desideratur in laudato; obiurgationes non raro modum excedunt, ut criterium magis in se spectatum, quam eius certo in casu reum carpere videantur; amicitiae subinde ob blandimenta, inimicitiae ob praeiudicia creduntur. Quo fit ut deprimentur animi, quos erigi oportebat, tollantur, quos deprimi, fiducia in hostibus collocetur, negetur amicis. Intam perplexis periculis plenis viis ariadnaeum quasi filum subministrat mens submissa, quae ne nimium, neque parum tribuatur aliorum sententiis & actionibus, facillime cauet. Ipsa impedit, quo minus in malam partem accipientur, quae sincero studio, bonoque scopo aguntur; ipsa iudicat hominum amicitias certissimo criterio, in iisque ineundis aliis optimum praefat consilium, praesentissimumque auxilium; ipsa denique supplet vel emendat, quae in aliorum praeceptis consiliisque sibi datis, ceteroquin fidelissimis, vel omnino desunt, vel cognitioni campi perfectionum & imperfectionum suarum minus respondent.

§. XXVIII.

Ad haec 3) vis submissae mentis non exigua est in vita sociali recte ac feliciter instituenda: siue commercium consideres, quod nobis est cum hominibus, quos regit ambitio, in quorum fauore conciliando submissio mentis, intra limites tamen suos sese continens, omni reliquo conamine efficacior esse solet; siue in primis habitum precibus ac supplici orationi indulgendi, quem inspirat, ponderes, quo destituti magnorum incommode- rum, quae sic euitare licuerat, ipsi sibi saepe fabri exsistunt. Similem in modum 4) qui in luce versantur rebus publi-

publicae, aliorumque oculos & vota in se conuertunt, si submissi sint animo, magnae hominum multitudini solatio erunt & alleuamento, dum faciliorem ad se aditum unicuique patefacient, cauissime etiam minoris momenti in gratiam pauperum & inferioris conditionis hominum diudicandis aures animosque non subtrahent. Nec obliuiscendum denique quod in quo laborum campo vites suas exercere submissus semel adgressus est, in eo ut plurimum feliciter progreddiatur, raro frustra desideret, ceteris paribus. Ratio in promtu est, quod mensuram virium suarum explorare in exercitiis maxime necessariis ponit, nec grauius aliquod negotium, nisi praeuiu hoc examine decernit. Huic autem, quod suscepit, eo constantius inhaeret, quo certius gradu virium, quo opus est, instruunt sese cognoscit. Quo sit, ut de felici conatu virorum euentu dubitare vix animum eius subeat, sicuti nunquam subiit, sphaeram virium suarum exsuperantia moliri.

§. XXIX.

Quemadmodum abieetus animus, fastus, siue subtilior, siue crassior, hypocrisis, & adsentatio, vitia sunt cum submissione animi vere incompatibilia: ita dantur quidam defectus leuiores, qui vel ex imperfectiori huius virtutis cultura, vel ex temperamentorum influxu orti, lucem eius in his etiam, in quibus fulget, quodammodo obscurant. Hos intermaxime notabilis est *animus timidus stricto* quodam significatu sumitus, secundum quem in habitu, societatem hominum, ob falsam imperfectiunum suarum socialium representationem, fugiendi, potius esse videtur. Quum fons eius sit crassior imperfe-

ctio-

ctionum nostrarum cognitio in genere, potest & in abiectione animo inueniri, §. IX. minime vero certum eius criterium est, quum & gradus dentur submissae mentis ex gradibus cognitionis deriuandi §. II. & sociales imperfectiones speciem tantum constituant defectuum, ultra quam error non extenditur. Hinc illae trepidationes, confusiones, verecundia inmodica & abnormis, ineptae etiam aliorum venerationes, apud istiusmodi homines in magnam mortarium celebritatem primum inductos obseruandae ; quae omnia neque submissae menti, nec abiectione animo temere sunt tribuenda sed plerumque huic, quod diximus vitio originem debent. Quod vere vitium est, si in habitu degenerat; contemtum enim parit hominum, celat perfectiones nostras, totum signorum externorum usum difficultem & ingratum aliis reddit, impedit amicitiae, etiam cum bonis initae durationem, ac innumeris modis vitam reddit infelicem. Submissus, qua talis, si hoc vitio laborat, in id obscura & imprudenti educatione, ut plerumque fit, intrusus : dum virtutem, quam sanctissime colit, omni industria promovet, non potest, quin huic morbo depellendo maturam sufficien temque medelam adhibeat ; atque tum in perfectionum socialium, quae in se aliquae deprehenduntur, naturam diligentius inquirat, ne preoccupatus ad societatem hominum accedat ; tum malis etiam hominibus, corumque colloquiis & societatibus recte utatur, nec omnino defaecatas & depuratas inter mortales expeter, nec scandali metu, nisi irrefessibilis, a fructibus e malorum etiam consortio pereciendis arceatur ; tum denique fideles magistros & aequos fautores nanciscatur qui occasionem sibi proximam subministrent,

per-

perfectiones, quae in se sunt, veras, opportune ac tempestive manifestandi, ac de republica bene merendi.

§. XXX.

Hactenus naturam & constitutionem submissae mentis generatim pro virium modulo tractauimus, sequuti definitionem ex sacrae scripturae quidem praceptis abstractam, neque tamen, quod propiori revelationi priuum ac peculiare sit, continentem. Iam quum omnium virtutum splendoris insigne aliquod augmentum accedat, ubi ex principio gratiae naturae harmonicae & emendatricis proueniunt, adeo ut nouas virtutes peperisse videatur, quas reuera tantum facilitat & intendit, & quad species auget supernaturalis hominum mutatio: ab instituto nostro alienum non erit, genuinum discrimen cominus intueri, quod inter vtrumque submissae mentis exercitum, illud naturalibus, hoc supernaturalibus viribus institutum, tantum intercedit, ut numero naturalium virtutum submissam mentem eximere quosdam mouerit. Triplex autem constituendum nobis erit huius discriminis momentum, ut primo nouas imperfectiones quas sola gratia manifestat, deinde constantiam & bonum exitum submissae mentis, quem sola suppeditat, ac denique noua motiva, quibus sola studium huius virtutis fortificat, contemplemur; siquidem in his omnibus gratia naturam eleuat & emendat.

§. XXXI.

Imperfectionum nostrarum densius agmen oculis nostris obiici, gratia facem praferente, vix quisquam negabit. Dicit hoc agmen labes naturalis. Quidquid enim cognitionis de hoc malo naturae tribuatur, manca tamen & mutila semper erit, siue originem huius mali species,

species, siue naturam. Vtrumque facilius posset monstrari, si liceret adulteratam hominum vitio naturam cum veris eius effatis confundere, hoc est, veteris gentilismi de origine mali traditiones ex poetarum & philosophorum scriptis promiscue colligere; in quibus vel omne malum & peccatum hominis a materia arcessitur, quo ipso moralitas eius negatur, vel ad deum ipsum auctorem infando scelere refertur, vel alii errores stabiuntur. Sed his omnibus missis certum est, conuictionem de vera mali moralis origine requirere fidem, saltim historicam, narrationi diuinae, quae in manibus christianorum est, adhibendam; quippe non essentia hominis, sed facto nititur, cuius completa veritas, humano generi alio quam diuino testimonio constare nequit, caeteris omnibus vel discrepantibus & fide indignis, vel fontem hunc suum satis testantibus. Multo magis fide opus est cupientibus & de natura, & de propagatione huius mali contuinci, in quibus multa sunt, quae videntur a ratione ab ludere, sola gratia vel conciliante vel vincente. Ea igitur instruetus ingenitum habitum peccandi non ut morbum sed ut culpam sibi cogitur repraesentare, de potentia naturali recte faciendi sit certissimus, & in speciosissimis actionibus notam impuritatis & reprobationis deprehendit. Quae omnia, quum naturae discipulo vel ignota prorsus maneant, vel dubie, & e longinquuo, & saepissime hominum figuris depravata patefiant; nunquam animus eius tantum submitetur, quantum illius, qui gratiae operationes, mediorum legitimum usum concomitantes admittit §. II.

§. XXXII.

Exsistit ex hoc defectum naturae nostrae complexu inopia spiritualis obiectu sumta , cuius vera viuaque cognitio gignit subiective sumtam generaliori significatu . Etenim submissus tuus gradum maximum dependentiae suae a deo cognoscit , in eo positum , quod non solum existentiam , viresque ad felicitatem suam promouendam necessarias a deo acceperit , sed & ob has , culpa in se transferenda , ad finem suum ineptas , reus , & poenae diuinæ subiacens , nisi a deo ipso , quem laeserat , pristino statui & spei felicitatis restitui non possit . Haec maxima dependentia summam quoque determinat hominis erga deum obligationem , quamprimum voluntas dei de restituenda mortaliu[m] salute , repurgandaque eorum natura innotuit . Adprobandus & ineundus ordo salutis naturae carnique ingratus , admittendae gratiae mutationes in quibus mere passiu[m] gerendum nobis est , excludendum omne proprii concursus meritum , fides in rebus , rationi & vsui quotidiano quam maxime repugnare v[er]is , firmando . In his omnibus sane ineft augmentum obligationis nostrae erga deum , & hinc imperfectionio , quatenus omnis noua obligatio externa parit , saltim testatur nouam imperfectionem . Vel maxima enim horum parte carere homo potuisset , vna cum sensu eorum ingrato , si recta & primordiali via ad felicitatem perrexisset . Quare viua cognitio tantorum defectuum , nobis etiam tanquam caussae liberae imputandorum , quam gratia efficit , auget submissionem erga deum , hinc & submissionem in genere .

§. XXXIII.

Quod ratione quantitatis & extensionis imperfectiōnum

nium humanarum moralium gratia praefstat, idem etiam in qualitate & intensione earum detegenda efficit. Gradus peccatorum multo aliter quam natura dinumerat, moralitatem in actionibus, vbi abditissima est, ostendit, vitam cognitionis auger, & vim omnium peccatorum ex laesione dei primario existimat. Praeterea quanta pericula ex societate reliquorum spirituum homini metuenda sint, sola gratia manifestat, odia perpetua & pugnam in partem illorum indefessam iniungit, arduisque homines subiicit temptationibus. Denique quantum homo homini nocere possit, quanta impedimenta ponat bonorum temporalium adfluentia, gratia non quidem prima docet, prima tamen, quantum sufficiens est ad cautionem adhibendam, euoluit. Ac sic satis superque patet, quam largam imperfectionum messem natura gratiae manifestandam reliquerit, ut virtus submissae mentis rite promovatur.

Non moramus obiectiōnēm, quod gratia homini imperfectionum cognitione prostrato aequalem perfectionum mensuram impertiat. Ut enim taceamus, harum perfectionum quietam & plenariam frutionem non huius vitae esse, vt taceamus, non omnes, in quibus emendandi gratia occupatur, bonorum, quae exhibet, re vera fieri participes; hae, quas posuimus, imperfectiones, non eius generis sunt, vt in his terris mutationibus gratiae tollantur, nec mentem pii hominis perpetuo debent submittere.

§. XXXIV.

Constantiam, bonumque exitum submissae mentis secundum fecimus studii eiusdem gratia excitati characterem §. XXX. Intueamur submissum natura fultum.

E 2

Sit

Sit tam strenuus huius virtutis cultor, quam esse homo quidem potest, rimetur animi sui intimos recessus, sit acer-
rimus sui censor, attentissimus actionum suarum examina-
tor, sint sermo, habitus, consuetudines, actiones, consor-
tia eius animi vere submissi testes fides dignissimi. Ve-
reor, omnia haec si adsint, quanta sint, ne in grande vi-
tium facile prolabatur. Fac enim eam, quam natura in-
culcat, felicitatis notionem recte ab eo ponderari, ut ani-
mus adquiratur in omni casu interritus, nunquam non
hilaris & tranquillus. Hoc ipso, quod adeo magno gra-
du submissus est, cauebit obdormitionem conscientiae,
prouidebit, ne quid hilaritatis ob adparentes perfectiones
concipiat. His positis, vnde quaeso misero quietus un-
quam animus exsister, naturae relicta? Auctum indies
sincerum eius studium quid lucrabitur, nisi mali & culpae
imis visceribus haerentis maiorem cognitionem? quid re-
mouebit, nisi quorundam peccatorum habitum, quorun-
dam vitiorum impetus, scaturigine mali relicta, neque
qui retineat torrentem peccatorum, vel culpam tollat, in-
uento? Sic itaque animum induco meum, naturam ho-
minem vel parum submissum facere, vel, vti maxime hanc
ipsi virtutem inspirat, ita maxime primum agere aut ad de-
sperationem, aut ad remissionem in omni virtutis studio,
eiusdemque contemptum. Prius exsistet, si moles certissi-
me imminentis infelicitatis, crescentisque, cui tollendae
impar natura, dominans aliquando perceptio evasura sit;
posterior, si consecutaria vitam honestam, quam adhucdum
viximus comitantia, & dishonestam stipantia, ita comparan-
tur, vt tantum non similia, immo haec illis, taedis multo
pleniore videantur. Diuerissima ratio est submissae men-
tis, quatenus eam gratia roboret. Heic quanto magis nos
pro-

prosternimus, tanto magis efficaciam mediorum gratiae facilitamus, tanto citius impedimenta remouemus, quae sensum verae felicitatis impediunt, tantoque maioris apud deum aestimamur, testantibus eius oraculis. Nulla hic desperatio, nisi de vi propria ad salutem; nulla indiferentia cereris paribus metuenda, vbi animus inter tedia & molestias huius vitae, praeponderantia gaudia, cef-santem iurgii & querelis conscientiam comitantia persentiscit.

§. XXXV.

Motiva noua, quae a gratia porrigitur ad excitandum submissae mentis studium, §. XXX. sunt 1) ipse ordo salutis fidelibus novi testamenti subeundus. Hic a) poenitentiam iniungit, & quotidie repetendam suadet, ut pro te sine qua nullum liberatoris verum desiderium, nullum salutis serium effici possit studium. Cuius cum pars quae-dam praecipua sit contritio, seu tristitia ex intuitu imperfectionum moralium cognitione deducenda: non confilii solum, sed & necessitas est, imperfectionum suarum quemque cognitionem querere & extensiu& intensiu& protensiu& maiorem, studere eius ardori atque vitae quam maxime, immo subinde multo clarius, distinctius & ardentius easdem sibi repraefentare, quam quidem perfectiones suas simultaneas. Ita demum pretium ac pondus satisfactionis diuinae, eiusque absoluta ad salutem peccatori necessitas recte ponderatur, ita desperatio illa salutaris, de quatheologi loquuntur, excitatur, ita amor media-toris ad gradum summum euehitur, ita deponitur habitus iustitiam dei meritis prouocantium, induitur misericordiam precibus flectentium. Quo fit etiam, ut sic in inte-

riora status nostri intromissi, cumulumque ac momentum peccatorum nostrorum intuiti, nos omnium maximos peccatores eredere incipiamus, 1. Tim. I. 15.; aliorum quippe statum non nisi quatenus ex externis patet, hinc & imperfectiones eorum nunquam tam plene, distincte & viue, quam nostras, possumus cognoscere. Semper igitur tunc species quaedam imperfectionum in aliis latent, quae in nobis patent, cuius oppositum in statu ante conuensionem. b) Sincerum amorem omnium in vniuersum hominum, ne hostibus quidem exceptis, praecipit. Atqui amor perfectiones in aliis hominibus supponit, quorum intuitu delectemur. Jam vero, etiam si ab hostibus recedamus, perfectiones maximaee mortalium partis pluri-mae oculis gratia nondum illuminatis non penetrantur. Alitur quaedam erga plurimos indifferentia; bona, quae ab illis ad nos redundant, habent aliquid nobis vulgare & quotidianum, quod abesse non posse facile existimamus; ita amandi reliqui hominum plerisque videntur, vt cupiditatibus suis velificantur; denique penes quos maxima auctoritas & potentia est, fortunas nostras externas amplificandi, in eos facillime amorem dirigimus. Docet gratia aequalitatem quandam hominum respectu dei; quippe aequalem omnibus miseriam, qua natura premuntur manifestat, idem cunctis per se consideratis ius tribuit, eandem quoque viam aperit ad recuperandam salutem. Hinc diuersum oritur principium dijudicandi perfectiones & imperfectiones, non ab eo, quod ratio docet, sed ab eo, quod sensibilitas corrupta introduxit. Discrepamus intuitu perfectionum externarum, honorum, opum, immo internarum minorum, graduum intellectus, inclinationum, cert; conuenientius intuitu apicis omnis perfectionis, facult-

cultatis puta, deum habendi propitium, eiusque fruendi
benignitate sempiterna. Quidni sincerum, immo, si alii
respectus non impediunt, aequalem omnes omnibus a-
morem exhiberemus? quidni iudicium de perfectioni-
bus alterius iudicio dei, qui aequae omnes amavit, con-
formaremus? Quidni hoc ipso ad detegendas reliquias
in vnoquoque perfectiones, immo producendas, quas
possimus, inflammanemur, vt crescat amor sicutque quan-
tum possit reciprocus? Non est diuersa ratio hostium.
Difficilis via est ad horum amorem, quam natura praefcri-
bit, & difficulter utilitates, quas huic amori iungit, odia
vincunt, tantam rationis & aequitatis speciem prae se fe-
rentia. Aequalitas haec, quam gratia manifestat, id praef-
stat, vt infernissimorum corda confipient. Immo quum
hostilitates aliorum sint inter calamitates, quibus gratia
opitulante non adfuefimus solum, sed praeponderanti-
bus fructibus monstratis, gaudemus etiam, erga ipsos
horum calamitatum auctores nascitur amor, studiumque,
ad frugem illos reducendi. Hic sane & motiuum nouum
gratia suppeditat ad submissam mentem colendam, & eius
declarationem in negotio omnium maxime arduo, rarissi-
meque a gentilibus obseruato, manuductione sua redi-
dit facillimam. Cui haec motiuia videantur naturae cum
gratia communia, notabit tamen multo certiorem fortio-
remque, vbi a gratia suppeditantur, naturam.

§. XXXVI.

a) Exemplum Christi. Quum enim diuinus ille
auctor & stator salutis nostrae inter praecipua imitato-
rum suorum criteria vix aliam virtutem tam adsidue, tam
prolixe, quam submissam mentem inculcauerit, immo
quum tota eius vita ad eam commendandam ab ipso &
patre

patre eius coelesti accommodata & ordinata videatur: illud in maximis motiuis exercendae huius virtutis esse potest, etiam si in sapientissimi magistri consilia & rationes, cur hanc potissimum virtutem suauerit tantopere, introspicere quibusdam datum non sit. Conf. Matth. XI, 29. Luc. XXII, 26. Matth. XVIII, 3. 3) Odium Satanae iuratum quod christianis incumbit. Hic enim corruptor generis humani quum & ipse fastu & arrogantia lapsus esse videatur, & idem vitium pestilentissimum primis hominibus inspirauerit, quo traheret in poenae calamitatisque societatem, inimicitias nostras tum maxime experitur, quum ea ex animo detersamus, ex quibus sibi solatia parare quam maxime adnisi erat. Ac iure memoria tanti sceleris fastum christianis dupliciter reddit execrabilem: praesertim, quum primi tentaminis iterationem tanto rectius metuant, quanto magis ex voto vaistro spiritui successit, quantoque magis ad id vitii pronam naturam hominis animaduertit. Adparet itaque tandem ex his omnibus, virtutem submissae mentis in christiano homine maiori gradu, quam in alio, & posse existere, & optimo iure requiri.

§. XXXVII.

Dicendum corondis loco aliquid duximus de cognitione & studio huius virtutis apud veteres. Et quidem, si ea separamus, quae §. XXX - XXXVI. ad reuelatam religionem pertinere monstrauimus, eorum lubentes accedimus letentiae, qui iam ab ultima antiquitate gentilibus cognitam fuisse hanc de submissa mente doctrinam, credunt, siue ad ethicam referatur, siue ad theologiam naturalem. Virtutum enim talis est concatenatio, ut apud quos tot tantorumque fuit notitia, quot quantorumque passim

passim apud veteres gentilium scriptores expressa & nominalis sit mentio, huius cognitione & studio omnino caruisse non posse, iure censeantur, etiamsi peculiari nomine eandem non omnes distinxerint. Quod igitur ad theoriam de submissa mente adtinet, omnes hoc referendi sunt, qui gloriae contemptum in virtutibus ponunt, tametsi facienda iudicent gloria digna. Quo se ipsi interpretantur, falsam gloriam esse, cuius studium prohibit, & famam nominis alia re quam praecclare gesris quæsitam, quod prodit submissionem mentis, §. XII. Qui virtutem virtutis, non honoris inde exspectandi gratia colendam dixerunt, submissionem animi docuisse sunt existimandi. Tum enim etiam, quum a plurimis infamia notatur, virtus, si sancte habetur, gloria falsa vt vera imperfection cognoscitur, hinc & eae actiones, quibus talem gloriam adquireremus, imperfectionibus accensentur, quod veram viuamque imperfectionum arguit cognitionem. Jam vero pythagoraeorum pariter ac stoicorum scholæ huiusmodi praecipita tradidere; intelligentes, falsam plerumque gloriam esse, quae per se, vt scopus aliquis primarius actionibus praefigitur, veram gloriam, vti Cicero loquitur, virtutem tanquam umbram sequi. Nec potest sane ab eiusdem studio separari, donec non deficient eius admiratores, siue id sint iniuti, quod omnes inhonesti, siue lubentes, quod omnes honesti. Vnde Pythagoras quemuis discipulorum vniuerso triennio ad contemnendam gloriam instituere, eoque absoluto singulorum profectus explorare consueisse fertur. Et Senecæ stoici haec notatu digna leguntur, epist. CXIII. *Qui virtutem suam publicari vult, non virtuti laboret, sed gloriae. Non vis esse iustus sine gloria. At me hercule ius-*

F

ius

stus esse debebis cum infamia, & tunc, si sapis, mala opinio, bene parva delectat. Ab hoc tamen gloriae contemtu Cicero alium distinguit diuersae naturae lib. I. de offic. cap. XXI. vbi multos ideo gloriam, praefertim rerum in republica gestarum contennere adfirmat, quod tum labores & molestias, tum offendiculum & repulsarum quasi quandam ignominiam timeant & infamiam. Ceterum identidem ipse Tullius a gloriae cupiditate dehortatur, ita adeo, vt cum magno animo §. XXVI. submissionem coniungere videatur. Sic de offic. lib. I. cap. XX. cauenda est, inquit, etiam gloriae cupiditas, ut supra dixi, eripit enim libertatem, pro qua magnanimitis viris omnis debet esse contentio, & cap. XIX.: vera & sapiens animi magnitudo honestum illud, quod maxime natura sequitur, in factis positum, non in gloria, iudicat, principemque se esse vult. non videri. Qui & ipse tusculan. quaest. lib. I. eorum ex philosophis mentionem iniicit, qui ex instituto de gloria contemmnda scripsere.

§. XXXVIII.

Memorat & Laertius inter Antisthenis apophthegmata illud: τὴν ἀδοξίαν αἰγαθὸν, τούτον τῷ πόνῳ. Quod si ex cynicorum, quorum sectam instituit, fama examinetur, sapienter dictum vix existimandum esset. At certe, si reliqua eius placita conferantur, optimum preceptum exhibebit submissae mentis. Minime scilicet gloriae falsae, vel etiam nimis amplis honoribus, & magnae nominis celebritati studendum putat, quod haec omnia onerent ac dissipent animos, impedianque, quo minus imperfectionum cognitioni satis operae impendamus. Quare cum omnium laudibus & blandimentis quasi

quasi circumsepto plus difficultatis superandum , plus laboris exantlandum sit , ne a sui cognitione abducatur , quam aliis , defectum gloriae labori dicit esse similem . Quod §. VIII. non contrariatur , sed modum tantum manifestandarum perfectionum prudentiae legibus adstringit . Aristoteles cuius in explicandis virtutibus ea methodus est , vt , quid sit inter duo extrema medium , proponat , idque virtutem esse iudicet , ratione iudicij de perfectionibus & imperfectionibus nostris duplucem virtutem constituit , primam , quae inter χαροτητα seu stolidam elationem , & μεγαλουχιαν ; alteram , quae inter τη φιλοτιμον & τη αφιλοτιμον medium teneat . Priorem vocat μεγαλουχιαν , posteriorem vero dicit esse ανόνυμοι , ethic . nicomach . lib . II . cap . VII . p . m . 53 . 54 . Μεγαλουχια igitur illud proprius respicere videtur , quod de nostris perfectionibus ipsimē sentimus , anonyma vero ista virtus , illud , quod ab aliis sentiri de iisdem cupimus . Quae in utraque harum inest mediocritas , quid aliud inuoluit , quam virtutem ταπενοφροσυνης stilo N . T . acceptae , seu submissae mentis licet illam non pro specie christianae virtutis venditare voluerimus .

§. XXXIX.

Animi moderationem & modestiam commendantes pariter submissae mentis laudes includunt . Moderatio enim in omnibus animi perturbationibus conspicua temperet quoque id gaudium necesse est , quod perfectiones vel ab aliis nobis tributae , vel a nobismet- sis animaduersae excitant . Non potest autem temperare , nisi sensu defectuum & dedecoris alicuius interni ingratu , qui moleste fert errores ab aliis in laudandis

F 2

tollen-

tollendisque nobis, in excessu praesertim, commissos,
ac respuit iudicia veritati repugnantia. Quod genus a-
nimi moderationis quo loco habitum, & quam dili-
genter cultum sit a veteribus, quos gloria recte facto-
rum immortales fecit, dici potest ex Valerio Maximō
dict. fact. memorab. lib. IV. cap. I.

§. XXXX.

Praxis tamen huius virtutis, fieri aliter non potuit,
quam vt ad eum perfectionis apicem, in quo nunc apud
veri nominis christianos cernitur, tum deum adsurre-
xerit, quem tenebrae, quibus religionis & diuinarum
rerum cognitio vbique locorum obuoluta erat, seruato-
ris aduentu dissipari inciperent. Quod & respectu iu-
daeorum V. T. dici debet, quum ex iis prodierint qui-
dem mentis submissae omni imitatione dignissima, &
praxin moresque aliorum populorum istius aetatis lon-
ge post se relinquentia exempla, cognitio tamen im-
perfectionum spiritualium, quibus laboramus, quae
maxime ornat & uehit submissae mentis studium, eo
gradu certa, completa, & exacta nunquam ante-
fuit, quam largiori spiritus sancti luper fideles N.
T. effusione euasit. Apud veteres romanos fere omnis
virtus, quae non ad augendam rem publicam, testandum
que eius amorem summum ac paene absolutum accom-
modata esse videbatur, viliori pretio & nomine fuit.
Quare & submissa mens hic in fortibus & constan-
tibus tunc fere vnce admirationem hominum exci-
tabat, vbi quaedam reipublicae cauſa neglexisse, vi-
tamque, fortunas, & honores, quasi mala & im-
perfe-

perfectiones respectu salutis reipublicae considerasse visa esset. Qui ardor saepe laudabilis, non raro tamen modum omnem transiliens, & amori sui suorumque a natura praescripto contrarius, semper tamen reipublicae romanae salutaris, immo necessarius fuit. Ceterum submissa mens ad altiorum imperfectionum, animi praesertim & internarum indagationem progesa, in philosophorum tantum quibusdam, eorumque discipulis ita eminuisse videtur, vt gloriam aliquam inde reportauerint, licet verisimile non est, vnam inter homines, similes virtutis huius cultores, quantumuis ignotos & incelebres defuisse.

F I N I S.

ERRATA B. L. SIC CORRIGAT.

P. 2.l. 26. vi leg. ne. p. 3. lin. 18. seqq. post *imperfectiones*,
leg. quo minores etiam cognoscit, & quo proprius ad illum referri debent, cet. p. 4. lin. 2. 3. *adpetitus* per errorem duplicatum. lin.
19. leg. *auersatio*, p. 9. l. 20. 21. leg. *bominum*, p. 13. lin. 3. a fine.
pro *vt*. leg. ne. p. 23. l. 21. post *vbi* comma collatur. l. 22. *sunt*
delatur. p. 14. l. 15. post *potius* comma deleatur. p. 15. l. 1. 2.
leg. *metaphysica*. p. 31. l. 6. sic distinguatur *vere cuncta*. p. 36.
lin. 6. vos *quanta* duplicanda. p. 38. l. 8. 9. leg. *conuersionem*. p.
39. l. 8. leg. *inflammaremur*. l. 10. leg. *difficilis*. p. 40. l. 9. a fine.
leg. *coronidis*. l. 5. a fin. leg. *sententiae*.

EXIMIE

EXIMIE DOCTO ATQVE HONORATISSIMO
AVCTORI RESPONDENTI
S. P. D.
PRAESES.

Slibet ipsis non vana atque temeraria blandiuntur voluptate, viri qui exasciata cordis sui cognitione instructi, illam iure in delictis habere videntur. Inueniuntur sane quae & veritati eiusdem gaudii fidem adstrinere, & contrariis obuiam ire sententiis possint argumenta. Sit enim quod vel exoptatis naturae incitationibus morem gerere, & ea non a remotis rerum limitibus repeterem volueris, quae contermina propinquitate, pari studio, laetitiae patrocinantur; vel quod utilitatibus inseruendum esse censeas & partim aemulationem praecedentium, partim acquiescentiam ex recte factorum memoria profluentem speches, concedes tandem candida ista gaudia serenos diffundere vultus. Aspernatur vero animus & atro quodam timore perculsus fugit cognitionem imperfectionum quibus se contaminatum esse sentit. Sitque quoas gradum quicunque tuta petere videvis, dum tergum huic conscientiae vertis, & cogita eo minus imperfectiones naturae humanae consentaneas esse, quo magis te notitiae ipsarum praeripere cupis. Periculosa & spinis cincta apparel via, quae nos ad cognitionem imperfectionum dicit, ast fallacibus perturbatique tantum hoc modo repraefentatur, mentis sensibus. En faciem eius notionis, & gaudium nobis pollicetur. Quidni amabimus itineris socium, cui nonsolum bella quaevis perspecta sunt, quae ad perfectionem & ornamentum regioni conciliandum faciunt; sed qui etiam deiorum abituorumque locorum cognitione instruetus est, in quorum latebris detinentur, quae & viam nobis praepedire & facua cupidine laetos itineris fructus decerpere possint. Quid itaque nobis reliquum esse arbitramur defensionis, si in

infensissimo odio prosequimur imperfectionum nostrarum scientiam,
quam partes eius in nullo alio, quam in hoc officio explendo con-
stitutas esse certum sit. Labyrinthaeis antris labes animae nostrae
continetur. Haec si nescimus, intempestivo ausu in perniciem ru-
it mens sibi relicta. Nonne itaque hilari excipiems fronde, indi-
cem periculorum quae adhuc euitare nobis conceditur? Si nuntios
phalangis, captiuitatem excidium in quo denique infelicem nobis mi-
nitantis mortem, cui vero adhuc resistere nobis datur, magni pae-
niis & insigni honore donandos esse censuerunt, prudentiores:
quanta exultatione dignum iudicabimus illud cognitionis genus,
quod eadem vices in maxime ancipiti discrimine sustinet. Laetis
prosequemur vocibus omnia diea nostris imperfectionibus scitu
dignissima; quam perspectus habeamus cuncta nostra mala, inde
originem trahere, & quam illa, hac cognitione socia, optime, sal-
tim quoad potiorem partem euitari possint. In hac vero felicitate
perficienda, versatur submissio mentis. Patet igitur quod ipsum
huius virtutis studium, quod alias morosis atque infimi subcellii homi-
nibus tribui solet, re vera animum continua beare possit suauitate, si
illud legitima attentione non indignum iudicauerimus. Haec non a re
nostra aliena esse sentio, quam ad ea quaedam praemittenda esse arbi-
tratus sum, quae iam non honoris verba, sed amoris & injimul virtutis
fallere nesciae, enunciata esse, re ipsa probabo. TE AMICE DVL-
CISSIME per integrum quinquennium obseruavi, studiis alte infixum.
Musarum non infelici fidere problem. Comitem laborum agnoui & al-
tioribus disciplinis praeprimis addictum & pieris inuigilantem cho-
rir. Loquuntur specimen eruditonis, plurim oculis subiecta. Lo-
quitur ipsa vitae TVAE conditio, ab omni fere cum aliis consuetudine,
si a pauci, si que cordatoribus discessero, segregata. Festum itaque &
mibi celebravi diem dum vidi dexteritatem soleritiamque TVAM plu-
ribus innotescere, quem easdem publico hoc scripto, eruditorum lima-
to iudicio diiudicandas tradis. Auctorem TE & argumenti electi &
traditionis totius eo lubentius depraedico, quo magis me ambolus de-
lecta-

lectatum esse profiteor. Nihil praeter amicas interlocutiones & consilia, quibus autem, ut optime spero, forte sine domno quoque caruisses, mibi vindico. Adhuc quidem nonnulla in quibus non penitus eadem TE cum statuo, alio saltim modo cogitata effuxissem, quae vero immutare nolui, quum illa caput disputationis non tangent & TVVM relinquentum sit quod TIBI iure debetur. Praeterea illa facile a falsitatis specie liberari & optime confirmari posse credo, a quo uis cui mens TVA perspecta fuerit. Sat amplam scriptioris academicae elaborationem accessionibus augere dubitavi, ne mea TVIS annexa esse videantur; licet et suissent quae specialius perpendi, et de combinatione mentis submissae cum reliquis virtutum propaginis preflus, imo de collitione cum iis saltim apparente, exponi potuisse. In defendendis iis quas ex oraisti meditationibus, non minus felicem TIBI auguro euentum, quum multiplici testimonio, in palaestra mea, aciem mentis TVAE, in dijudicandis dubiis & auditorio & mibi probatam reddideris. Scio quidem TE AMICE exoptatissime a sententiâ mea non abludere, quam Plinio acceptam refero: homines in studiis timorem magis, quam fiduciam decere; at & hanc exemplum submissionis mentis esse, a te summo studio exornatae comperitur babeo. Liceat itaque & mibi iisdem fere verbis vti, quae Plinius (praefiscine dixerim) ut relatio eiusdem ad Spurinannos docet, in Calphurnio Pifone excrucendo adhibuit. Perge qua, coepisti incitatione, lumenque quod maiores TIBI praetulerunt postoris praeser. Gratulor optimae matri. Gratulor familiae quae ex egritudine TVAnon minorem pietatis gloriam tulit, quam TV spei. buc usque Plinius. Deus O. M. votis meis se facilem praebebit, quibus singula quae TIBI fausta, prospera & iucunda erunt complector. Adhuc conaminibus ad felicitatem ciuitatis sacrae tendentibus, quae eo facilius explebis quo magis virtutis, quam commendas pulebritudinem experientia duce cognouisti & cognosces. Blanda perfusus laetitia non aevum solas aero in ipso constituta academico, sed assensum amicitiamque meam etiam publice declaraturus. Vale AMICE inter paucos dilecte, bellissime, aut si mauis, optime Vale. Dab. in Regia
Fridericiana VII. Iduum Augusti MDCL.

Bei diesem Zeugniſſe
der Geschicklichkeit ihres Mitgliedes

Herrn Tenzel.

bezeugt ihr Vergnügen

Die Gesellschaft der Freunde der schönen Wissenschaften in Halle.

Soch fühlt unser zärtliches Herz die Göttern süßern Wollust
Die Wollust, die es bezwungen empfand,
Als eine Stunde des Glücks, Dich, bester unter den
Freunden, Erheitert uns zu besuchen bewog.

Da, wo ein kristallener Bach fruchtbare Fluren bewässert,
Der paradiesische Felder durchirrt,
Und zwischen Gewölben von Laub in wölkem Ufer vorbeirauscht,
Die sich im Spiegel des Abgrundes schin;

Da, wo er vom steinigten Hügel mit leisem Geröse herabfällt
Und über scheetige Kiesel hinläuft;
Nachdenkend sassen wir da auf sammetähnlichen Matten,
In bunten Blumen und weichrem Klee.

Mit leuchtenden Farben geschmückt, hoch in ätherischen Wolken
Versteckt der nahe Parnassus sein Haupt;
Vom Sonnenlicht, welches von ihm in feurigerm Glanze zurückprallt,
Wird ihm ein Haufe von Freunden entdeckt.

Von seiner Höh schauet auf uns mit triumphirenden Blicken
Des Phobus göttliches Antzg herab,
Wie Afens mächtger Monarch von seinem glänzenden Throne
Auf um ihn stehende Völker hinsieht.

G

Still.

Still schweigend und ruhig hatt er den Blick wieder von uns gekehret,
Wenn sein nachdrücklicher forschendes Ohr,
Das, edeler Tenzel, Dich zu hören ist göttlich gebildet,
Dein Weisheit lehrend Gespräch nicht gehört.

Nun aber bereitet er sich, mit stärkern Lichte geschmücket
In majestatisch blitender Pracht,

Da ihn Deine Rede gerührt, von seinem Sitz zu erheben,
Ihm folgt der Muses göttliche Schaar.

So wie der silberne Mond von funkeln den Sternen begleitet,
Olimps azurine Gewölbe durchsteige,

So senkte vom jähnen Parnass sich Phobus zu uns hernieder
Und redete, weisester Jüngling, Dich an:

Mein Liebling, schon längstens hast Du den Zohn der Tugend verdienet,
Hat sie kein Sterblicher gleich noch belohnt;
Längst hat sich mein väterlich Herz an Deinem Wissen vergnüget,
Längst bist Du, Tenzel, mein würdiger Sohn.

Nim von meiner segnenden Hand in Plaudus heilgen Revieren
Den Cranz, den Weisheit und Tugend erhält.

So sprach er mit göttlichem Ton und hob sich auf guldnen
Wagen

Von Wolken zum hohen Parnassus hinauf.

Haum fehrt Phobus zurück, als unsre zitternden Glieder
Ein nie beschriebnes Entzücken durchdrang.

Als über die Feier erstaut, die Reihe verjähreter Eichen
Vor uns ein sanftes Gemurmel erhob.

Wir sahen, vertrautesster Freund, wir sahn Deine heitere Stirne
Mit grünen Ephu und Lorbern umkränzt.

Noch tömt der süße Gesang von guldnen Saiten der Leier,
Die unsern Freunden gehilfet bleibt.

Durchlebe zufrieden die Zeit in lauter fröhlichen Tagen,
Fahr fort der Jünglinge Muster zu sein,
Bis spätere Zeiten Dich einst dem Alter zum Beispiel sezen,
Das täglich unnachahmbarer wird!

Genie.

Genuesse die himmlische Lust, die aus der Quelle des Wissens
Zu Deinem redlichen Herzen hinsleßt!
Erweitere, von Müssen verehrt, das Reich der gütigen Müssen,
Da Kunst und Wissenschaft neben Dir blühn!
Schon sinket die Decke der Nacht, in die die Zukunft sich hüllt,
Wir sehn Dich Tenzel, in Ehren und Ruhm.
Die werden Welten in Dir die Tugend und Weisheit erkennen,
Apollo hat Dich mit Lorbern bekrönt.

Streund! das sind die ersten Zeilen,
Die Dir meine Freundschaft bringt,
Sollten auch wohl hier zuweisen,
Da die Muse schlichtern singt,
Die Gedanken wankend fallen;
O so richte Du sie auf,
Und erschehe das in allen,
Was verhindert ihren Lauf.
Proben, die Dein Fleiß gegeben,
Proben der Geschicklichkeit,
Diese müssen Dich beleben
Bei dem Wechsel dieser Zeit.
Oft bleibt eines Fleis verborgen,
Da der Mahne unbekannt,
Und vielleicht ein früher Morgen
Seine Stütze ihm entwandt.
Eile drum, daß man Dich findet,
Wo man in der Geschäftsamkeit
Tausend Lorbeerkränze windet,
Und erachte Wünsche weicht.
Esche lächlig neue Säulen,
Die Dein muntrer Fleis vollführt,
Und gedenke unterweilen
Eines, den Dein Glücke führt.

Friedrich Wilhelm Ellenger,
aus Halle in Sachsen Dyonens.
Empfind

Gempfind ich nicht den Geist, der meine Brust bewegt?
Wer hat mir seinen Trieb so lebhaft eingeprägt?
Wer lehrte mich denn wohl Begriffe zu verbinden,
Und lies mich in mir selbst den Grund zum Denken finden?
Wie? stammt sein hoher Trieb vom blosen Ohngefehr,
Und kommt das Wesen gar von Sonnenstäubchen her?
Verdämme Phantasi wo hin wirft du noch zielen?
Kanßt du den Schöpfer nicht in deinem Busen fühlen?
Er schuf dich und den Geist, er ruft aus der Natur:
Selbst dein Gedanke ist der weisen Gottheit Spur.
O! möchte nur der Geist aus Wissenslust entbrennen
Dich Schöpfer, die Natur, und auch sich selbst zu kennen!
Wie glücklich lebt ein Mensch, der seine Pflichten weis:
Der Nacht und Dämmer vertreibt, der sich durch edlen Fleis
Durch Kunst und Wissenschaft zu Tugenden erwecket,
Bis seine Schwachheit ihm so Ziel als Schranken stiecket!
Er kennt den edlen Geist der seinen Körper füllt;
Wenn mancher Nebel ihn mit Finsternis umhüllt:
So sucht sein edler Fleis den Nebel zu zerstreuen,
Und wenn es ihm gelingt: wie? sol er sich nicht freuen?
Freund, dessen frohes Herz zum Ruhm der Freundschaft schlägt,
Freund, dessen Fleis und Mühs auch meine Brust bewegt,
Vergib wenn Dir mein Herz der Freundschaft Opfer bringet
Und mit entbranter Lust den Wunsch entgegen singet;
Nur fordere nicht von mir, so wie der Lebe Zoll,
Dah ich Dir heute gar die Lorbernu rauben soll,
Ich seh sie im voraus um Deine Schläffe grünen:
Wer sich wie Du bemüht, der muss sie auch verdienen,

C. W. Nürnberg er,

d. W. W. u. G. G. E. aus Breslau.



94 A 7362

ULB Halle
001 840 606

3



96.





MEDITATIONES

DE

SVBMISSIONE MENTIS

VVLGO

HVMILITATE

QVAS

PRAESIDE

VIRO PRAECELLENTISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

M. GOTTLLOB. SAMVELE NICOLAI

AMPLISSIMAE FACVLTATIS PHILOSOPHICAE ADVNCTO

PATRONO ET FAVTORE PIE COLENDO

AD DIEM AVGVSTI A. O. R. MDCCCL.

H. L. Q. C.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR

FRIDERICVS IVSTVS TENZEL

HALENSIA.

HALAE MAGDEBURG.

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.

78